



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Flavia Domitilla V. & M. 7. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. FLAVIA DOMITILLA V. & M.  
7. Maii.

**A** Dornabat in centesimum CHRI-  
STI annum FLAVIA Aurelio de-  
sponsa nuptias, & ad nuptias sese im-  
primis: cum Nereus & Achilleus, qui  
a cubiculis illi erant, sollicitam move-  
runt, ut eam in comendo curam celo  
impenderet, ita fore, uti sponsum  
CHRISTVM nancisceretur. Audiit illa  
tam salubria monentes, repudiatoque  
mortali sponso, immortalis nubentem  
Clemens Pont. Max. ex more Christiano,  
flammeo involvit. Consilium hoc  
optimum etiam ipsis auctoribus fuit.  
Nam duo egregii illi Paranympsi mox  
Martyres coronam primi nuptialem  
abstulerunt; at FLAVIA in exilium  
missa, dura atque aspera multa perpeffa  
est. Post cum Theodoram atque Eu-  
phrosynam, quæ ad Aurelii amores ite-  
rum illam abstrahere nitebantur, in  
suam etiam sententiam pertraxisset, &  
ipse Aurelius dum choreas ductaret,  
subito fato corruens, mortuales fecit  
set, quas nuptiales putaverat; irâ ar-  
dens hujus germanus Luxorius, adibus  
in quibus DOMITILLA cum geminis,  
quas memoravimus, virginibus age-  
bat, ignem subjecit. Sed nempe tam  
sanctis nuptiis ille sic tædas præluxit;  
sponsarum verò postridie corpora, ut a

Cupidinis, sic à tyranni etiam ignibus integra fuerunt, & à tam sanctis flammarum spoliis hodie Eluacum Germaniæ civitas splendet. *Ex Sur.*

## S. AMATVS CONF. 8. Maii.

**A**MATO Saludecium patria fuit. Parentibus in tenerâ ætate amissis, multa tulit, fecitq; puer & adolescens, etiam viris imitanda. Amor castitatis prima illi bella excitavit, foeminâ clasticum cantante, proprio sexus sui genio. Ea fratri AMATI nupta, filiam, quam priore conjugio tulerat, cum AMATO sponfam obtruderet, repulsam ultimis odiis ulta est, quibus etiam fratres collisi sunt, exiguo tamē AMATI incommodo, deperantis in lucro, si virtutis causâ nomen suum amitteret, fieretque exosus: Numinis tamen benevolentiam omnibus officiis captavit, in pauperes tam prodigus, nihil ut sibi relinqueret, sed locatâ promiscuè operâ, famem sustentaret: in emaciato nihilominus corpore flagro ferreo non modo memoriâ sed imaginem Christi patientis renovabat, hoc quoque illius assecutus, ut pro malesano habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed despectum orbi calû ad se rapuit, tam familiariter quidem, ut inter castas preces evolantem ad Superos animû etiam corpus sequeretur. Crescentem eo miraculo

zaculo